

§. 5. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia officia, tam in hoc; quam in aliis Regnis annexis, Serenitas sua, juxta Articulum 11. ante Coronationem, Anno 1608. editum, conferet.

§. 8. *Septima Conditio.* Quod in Palatini electione, ejusdemque Authoritate, Jurisdictione et officio, juxta Articulos Viennensis Pacificationis ad tertium. Item ante Coronationem edito, Anni 1608. Articulum 11. et Anni 1613. Art. 7. FERDINANDI Regis, Anni 1655. Art. 1. circa finem, ac secundum formam Juramenti ejusdem Palatini, praescriptum modum Serenitas sua observatura est. De Banatu etiam, quae in eodem Articulo 11. Anni 1608. continentur.

*Confiniariorum Numerum, juxta Articulum 3. Anni 1655. intertenendum et ex mediis ibidem insinuatis exolvendum; sua Majestas benigne offert.*

### Articulus 2.

Cum gravissimo suo damno experiuntur Status, Militum Ungarorum statum in Praesidiis ad numerum in Articulo 3. Anni 1655. specificatum non esse reductum; Ob quod vicinum Christiani nominis hostem per continuas particulares excursiones, etiam in interioribus Regni Partibus Ditioni suae subjugandis, notabiles fecisse, et in dies majores facere progressus, usque adeo; ut nisi idem Militum numerus compleatur, timendum, ne mali istius serpentis rabies etiam in Vicinas suae Majestatis Provincias sese continuata Deditio effundat, prout jam et coepisset.

§. 1. Praecitato itaque Articulo 3. Anni 1655. in suo vigore manente; juxta benignam quoque suae Majestatis resolutionem Status et Ordines etiamnum decernunt: Ut Milites Confiniarii nativi, ad numerum in eodem Articulo specificatum quam primum reducantur, deque continua eorundem (ac Militum quoque Banalium) solutione, ex contributionibus Vicinarum suae Majestatis Provinciarum ac Regni Bohemiae; antea quoque dictante Articulo 34. Anni 1638. ad Confinia istius Regni exsolvenda ordinatis; ac more antiquitus consueto, per Solutores et Commissarios earundem Provinciarum et Regni numerandis: Et proventibus etiam hujus Regni, ad solutionem eorundem Confiniorum benigne deputandis, aliisque mediis ibidem insinuatis effective provideatur.

*Universi Status et Ordines Regni, ad promulgationem Supremorum vel Vice-Comitum quot annis personaliter insurgent et lustrabunt.*

### Articulus 28.

Decernunt ad haec Status; ut universi Domini Praelati, Magnates, Nobiles, Liberaeque Civitates, cum praescitu Domini Comitis Palatini; in partibus vero Superioribus etiam Generalis illarum partium; in Croatia vero et Sclavonia Domini Bani; ad promulgationem Supremorum vel Vice-Comitum in suis Comitatibus quotannis sub poena; Domini quidem Praelati et Magnates quinquaginta: Possessionati Nobiles, viginti quinque: Armalistae vero et Curiales duodecim flo-